

598 4

DISPUTATIO IVRIDICA
De
CONDITIONE
INDEBITI,

Quam

D. O. M. A.

PERMISSU

AMPLISSIMI ET CONSULTISSIMI
Collegij Iuridici,

PRÆSIDE

Clarissimo Viro

DN. ANDREA LUDOVICO
SCHOPPERO PHILOSOPHIAE
ac J. V. Doctore:

*In Inclita Argentoratensium Academia publica
disquisitioni subijcit*

JOHANNES PHILIPPUS ZINCK
Germershemio-Palatinus;

*Ad diem 24. Augusti
Horis locoque consuetis;*



ARGENTORATI,
EXCUDEBAT PAULUS LEDERTZ.

Anno M. DC. XXI.





De

CONDICTIONE INDEBITI.

THESIS I.

CONDICERE in pactionibus est simul dicere, *l. 66. in pr. ff. de contrah. emt.* vel promittere, seu certum tempus locumve quod quid fiat constituere; ut condicere alicui cenam, quo promittere, se affuturum cenæ. Est deinde idem quod denunciare prisca lingua; ut ait Imperator §. *Appellamus Inst. de Action.* Id est, certum diem denunciare quò in iudicium venire oportet, ut olim moris erat, *Fest. lib. 3.* & hinc conditio erat ejus rei, quâ de agebatur, in diem certum denunciatio. *Id. ib.* qui condicendi seu potius denunciandi nos obsolevit. *d. §. appellamus.*

I I.

Hodiè Conditio est actio in personam, quâ actor intendit restitui sibi oportere. *d. §. appellamus.*

I I I.

Generalis hæc Conditionis significatio, quæ etiam Indebiti in genere dicitur, sumitur pro quavis actione personali, qua rem, quoquo modo non debitam, repetimus: quò sensu specialis quædam sub se Conditiones complectitur, *l. 65. ff. h. t.*

I V.

Idq; pro qualitate causæ: quæ, si vel deficit; vel si turpis aut injusta; si erronea, si nulla; si deniq; furtiva: certa sua cuiuslibet competit conditio. *d. l. 65. ff. pr. & sing. ibid. tit.*

V.

Nos, omittis cæteris, de Conditione ob causam erroneam quæ indebiti in specie sic dicitur; præfente hac *consuetudine* nostrâ breviter aliquid cum bono D E oagemus.

V I.

Conditio hæc Indebiti est Actio personalis, civilis stricti juris:

A 2

quæ



quã actor intendit sibi ex æquitate reddi à reo oportere, quod indebitè est solutum *Wesemb. n. 10. h. t.*

V I I.

Condictio hæc propriè non ex vero, sed quasi contractu oritur §. 1. *Inst. quib. mode contrah. obl. l. 5. §. 3. de O. & A. §. item in cui. Inst. de obl. quæ ex q. contr. oriuntur.*

V I I I.

Et introducta est ex æquo & bono. *l. 66. h. t.* unde quicquid non ex æquo & bono debetur, censetur indebitum. *l. 47. l. 64. ff. h. t. l. 10. ff. de O. & A.*

I X.

Datur a hæc Condictio 1. ubi indebitum est solutum quod omninò non, seu nullo jure, naturali scilicet & civili debebatur. *l. 26. §. 3. l. 65. §. ult. ff. h. t.*

X.

Deinde quod civiliter quidem est debitum; non verò naturaliter §. *æquè. Inst. de Except. l. 59. ff. de O. & A. l. 95. §. 4. ff. de solution. l. 3. C. eod.*

X I.

Sub conditione debitum, pendente adhuc conditione, solutum; repetitur, *l. 16. ff. h. t.*

X I I.

Conditio hinc ea intelligitur, quæ an extitura sit, incertum est. Si verò talis est conditio quæ existet omnimodò, solutum repeti nequit. *l. 18. ff. h. t.*

X I I I.

Similiter, quoad incertam prorsus diem debetur, ante diem solutum repetitur, *d. l. 16. h. t.*

X I V.

Incerta quoq; hinc dies est; de qua an. extitura sit; dubitatur. *l. 4. n. C. de caduc. toll. Secus enim se res habet, si certò extitura est, etiam si, quando sit, incertum est? l. 17. h. t.*

X V.

Quid si ante diem certum (posteriore significatione sumtum) solverit ex errore quis quod nondum debebat (pendente scilicet adhuc die:) cui cedat medij temporis interusurium quæstionis est? Dequã in Disputationis Actu. Illud

X V I.

Illud, quod ultra debitum est solutum, æquè repeti potest. *l. 26. §. 4. l. 45. ff. h. t. l. 25. ff. de probation. ut etiam illud quod bis per errorem solvitur. d. l. 25. §. 2. ff. de probat.*

X V I I.

Item, si quod alij debetur, alij solvitur. *l. 65. §. fin. h. t.*

X V I I I.

Sic etiam si quid non debitum, solvitur pro eo, quod revera est debitum. *l. 19. §. si putem. h. t.*

X I X.

Quemadmodum & is, quod alius debebat, quasi ipse debuisset, suo nomine solverit, *d. l. 65. §. fin. l. 5. C. h. t.* Sin autem debitoris nomine solvit, cessat Condictio. *l. 8. l. 47. ff. h. t.* ubi ei, qui debitoris nomine solvit, in debitorem verum competit repetitio.

X X.

Indebitum porrò & illud solutum repetitur, quod propter exceptionem quandam perpetuam peti non potuit. *l. 26. §. 3. h. t.* non vero temporariam *l. 40. eod. l. 25. §. 2. ff. de probation.*

X X I.

Perpetuæ istæ exceptiones sunt: Exceptio SC. Velleiani. *l. 10. ff. ad SC. Vellei. & l. 40. ff. h. t.* Doli mali *l. 1. §. 1. ff. de dol. mal. except. & si quæ his sunt similes.*

X X I I.

Diversa est ratio exceptionis rei judicatæ. *l. 1. C. h. t.* Item SC. Macedoniani. *l. 40. ff. h. t. l. 9. §. penult. & ult. ff. ad SC. Maced.* quia manet naturalis obligatio. *l. seq. d. loc.*

X X I I I.

Quod si dubitavit temporariane sit exceptio an perpetua? Condictioni locus est. *l. 56. h. t.*

X X I V.

Si verò solvens scivit exceptione quãdam perpetuã tutum se esse; non repetit. *l. 24. l. 26. §. 3. ff. h. t.*

X X V.

Ad Conditionem hanc requiritur etiam; primò ut sit solutum;

deinde ut solutum illud, sit indebitum. *l. 25. D. de probation.*

XXVI.

Requiritur etiam, ut solvens solverit ex ignorantia *l. 1. §. 1. D. h. t. vel ex errore l. 7. l. 22. l. 23. D. eod.* Error eq; facti. *l. 6. l. 7. C. h. t.* si enim scivit se non debere, hand repetit. *d. l. 1. D. h. t. l. 9. C. eod.* quia donasse videtur. *l. 53. de R. L.* Nec juvat si eo animo dedit ut repetat. *l. 50. D. h. t. l. 55. D. de solution.*

XXVII.

Si verò solutum fuerit errore juris: nulla datur conditio. *l. 6. l. 10. C. de jur. & fact. ignor. l. 9. C. ad L. Falcid.*

XXVIII.

A jurista tamen ignorantia excusantur sceminae: nam & hoc casu propter sexus imbecillitatem eis competit conditio. *l. 9. in pr. D. de jur. & fact. ignor. l. 9. C. ad SC. Vellei.*

XXIX.

Pupillus quoque sine Tutoris autoritate; item furiosus & prodigus: ignorantia tam juris quam facti, solvenres; repetunt. *l. 29. l. 41. D. h. t. l. 189. de R. L. l. 81. 9. D. de acq. hered. §. 2. & in fin. Inst. quib. alien. licet.*

XXX.

Ac soluta pecunia, si extat adhuc, vindicabitur: si verò consumpta; condici potest. *l. 29. D. h. t.* Subintelligendum tamen hoc in casu si videlicet utilius sit ejusmodi personis, condici pecuniam; quam solutam ratificari: si verò omni jure debitum fuit, quod solutum est; satius est ratificatione facta illos liberari. *l. 19. §. 1. D. si cert. per. Nec refert, an pupillus solvat, aut nomine ejus alius. l. 6. l. 57. D. h. t. l. 9. C. eod.*

XXXI.

Ignorantia autem ista, de qua diximus, debet committi ab utraque parte: tam dantis quam accipientis.

XXXII.

Dantis seu solventis; quia, ut jam dictum, consulto si dat, donatio est, & cessat repetitio. *dd. ll.*

XXXIII.

Accipientis; nam si error in ipsius persona deficit, furtum ab e-
jus

jus parte committitur: & magis, si solutionem urgeat. *ex l. 43. §. cum l. seq. l. 52. §. 21. D. de furt. l. 38. §. 1. D. de solution.*

XXXIV.

Dubitans etiam, an debet, quod solvit, nec ne? Condicere potest. *l. fin. C. h. t. l. fin. §. 2. & 3. C. de furt.* Dubitatio enim ignorantiam imitatur *ex l. 1. in pr. D. de legat. 3. l. 14. l. 15. D. qui testament. fac. poss.*

XXXV.

Datur hæc Conditio adversus eum, qui vel indebitum ipsemer in solutum accepit, vel per aliummodò solvens jussus hoc fecerit. *l. 56. D. de solut. l. 180. de R. I. vel is, cujus nomine indebitum acceptum est, hoc rati habuerit. l. fin. C. ad SC. Mac. l. 16. D. rem. rat. hab.*

XXXVI.

Et cum rei sit persecutória hæc Conditio, proinde ad heredes solventis, inque heredes accipientis transit. *l. 12. D. h. t. l. 1. l. 5. Cod. eod.*

XXXVII.

Condicitur verò vel id ipsum quod solutum est; si scilicet data sit species: vel tantundem; si quantitas. *l. 7. l. 26. §. 12. l. 65. §. 6. D. h. t. l. ult. digest. de præscript. verb. l. 3. C. h. t.*

XXXVIII.

Nec solum res ipsa aut quantitas ejus condicatur: verum etiam (cum Juris naturalis sit Conditio) omne id, quod rei soluta accessit, aut exinde quocunq; modo provenit, hac in Conditioe vindicatur: *l. 15. D. h. t. l. 38. §. 2. D. de usur. deducta tamen impensâ. l. 65. §. 5. D. h. t.*

XXXIX.

Usuræ verò in Conditioe non veniunt. *l. 1. C. h. t.*

XL.

Fructus tamen antelitem contestatam percepti, in judicium hoc veniunt: post litem autem contestatam (sive judicio accepto) omnes deinde fructus officio judicis adjudicantur. *l. 15. l. 38. §. 1. 7. D. de usur. & fruct.*

XLI.

His autem solis pecunia condici potest, quibus soluta est, non quibus.

quibus proficit. l. 49. D. hoc. titul. l. 15. C. si cert. pet. l. 13. C. de Action.

XLII.

Et hoc quovis loco conveniente: licet is qui solvit, certo loco se debere existimavit. Dn. Gothofr. ad l. 27. D. h. t. quin etiam in eo ipso loco, quo quis solvit indebitum, forum sortitur reus. Idem Dn. Gothofr. ad l. 20. D. de Iudiciis.

XLIII.

Condicimus verò, seu tanquam indebita repetimus, quorum retentio ipso jure nobis competit: id est, ad quæ retinenda exceptione nobis opus non est: qualem habet maritus in dote. l. 5. D. de impens. in reb. dot. fact. l. 79. de V. S.

XLIV.

Est, quorum retentio opposita doli mali exceptione nobis competit: qualem habetis, qui in rem alienam sumtus bonâ fide facit. l. 33. in fin. D. h. t. l. 48. D. de rei vindicat. ea si fuerint indebitè soluta, repeti nequeunt; sed retentio duntaxat & possessio illorum nobis prodest. l. 15. §. 1. l. 40. §. 1. D. h. t.

XLV.

Accidit quandoque, ut à duobus pariter solvatur: quo in casu pro rata sua portione utriq; datur repetitio. l. 19. §. 4. D. h. t. l. 25. ff. de solution. Sin verò impariter solverint; tùm iste, qui posteriore loco solvit, id quod ultra sortem est solutum, condicere potest. l. ult. §. 2. D. h. t. l. 25. eod.

XLVI.

Si duo sub disjunctione de rebus pluribus alternativè obligati, pariter solverint; penes Creditorem est electio, quam rem, cuive eam velit reddere, ut alterius repetitio impediatur. l. 21. D. hoc titul.

XLVII.

Contrarium verò receptum est, si unus solus res duas aut plures alternativè debet: ubi unâ solutâ de altera conveniri non potest. Si verò is ex errore utramq; dederit, ac si copulativè istas seu simul deberet; danti esse electionem, utram velit recipere, cum Papiniano ex l. pen. C. h. t. concludimus.

Diximus

XLVIII.

Diximus hactenus ubi & adversus quem, & in quibus casibus datur Condictio Indebiti: videamus jam paucis ubinam cesset sive quiescat eadem.

XLIX.

Ac principio præter Exceptiones quasdam, supra Theſibus aliquot sparsim allatas: ex causâ, cui naturalis subest obligatio, solum repeti nequit; etiam si civiliter non sit debitum. l. 64. h. t.

L.

Talis est obligatio inter libertum & patronum. Ut si libertus operas officiales (quas non debet nisi promissas l. 31. D. de oper. libertor) patrono solverit; condicere non potest l. 26. §. 12. h. t. Manumissionis enim beneficij obligatio repetitionem inhibet. l. 84. §. 1. de R. I.

LI.

Idem juris est, si patronus debitum cum servo contractum, secutâ post manumissione, solverit. Repetere enim patronus non potest; quia servo naturâ obligatus est: quæ obligatio servum manumissum sequitur. l. 64. h. t.

LII.

Hujusmodi obligatio naturalis est inter patrem & filium familiâs. Ut, si pater filio peculij ratione crediderit: filius emancipatus si solvit, repetere non potest; quia jure naturali patri obligatus est. Et hoc eo in casu valet, si nihil peculij apud patrem remansit. Quod si verò occupaverit peculium pater; simul & naturale debitum sustulit. l. 38. §. 1. D. h. t.

LIII.

Si verò pater filio extra peculij casum crediderit? solutam pecuniam emancipatus filius repetere non potest. Sin verò non solverit? nec patri adversus filium ex naturali obligatione dabitur Condictio.

LIV.

Propter eandem naturalem obligationem si filius familiâs patri crediderit, id quod Emancipato postea solvit, pater, non repetere potest. d. l. 38. §. 2. Manere tamen post Emancipationem obligationem hanc naturalem d. l. 38. §. 1. & 2. probatur.

LV.

Naturalis etiam obligatio nascitur inter fratres in eadem, patris

B

nimi-

nimirum, potestate constitutos, si inter se contraxerint, quæ naturalis obligatio vivo patre Conditionem impedit: patre vero mortuo locum ei facit, & quoad debitorem jure confusionis l. 21. §. 3. D. de fidejuss. l. 95. §. 2. D. de solution. l. 7. C. de pact. quoad Creditorem, propter peculij perceptionem l. frater. vers. naturalem D. h. t.

LVI.

Unde si frater à fratre pecuniam ex ejus peculio mutuatam, mortuo patre reddidit: pro eà parte quâ ipse patri heres extitit, condicet. Pro ea vero parte quâ frater heres fuit, eatenus repetet, si frater non minus ex peculio suo acceperit. d. l. 38. frater.

LVII.

Præterea cessat Condictio, ut etiam supra attigimus, ex causa Judicati: propter rerum Judicatarum auctoritatem, l. r. C. h. t. h. i. C. de re Judic. Nec interest utrum judicio verus debitor absolutus; an vero non debitor damnatus solverit. l. 28. & 60. D. h. t. Illud tamen quod cohæredi in divisione ex arbitrio solvitur, si indebitum apparet, restituitur. l. 8. C. de Collation.

LVIII.

Quiescit etiam Condictio Indebiti, si quid ex causa jurisjurandi solutum est; aut pactum est, ne repetatur. Ubi, si reus exceptione hac utitur: cessat repetitio. l. 9. §. 1. l. 36. D. de jurejur. l. 95. §. naturalis D. de solution.

LIX.

Quod ex causa Transactionis, quamvis indebitum, solvitur, non condicatur, quod tamen cum grano salis accipiendum l. 65. §. 1. h. t.

LX.

Præterea etiam quæ ex causa Inficiationis in lite crescunt, si per errorem indebitè soluta sint, repeti non possunt: l. 4. C. h. t.

LXI.

Ut & illa quæ pietatis causa indebitè solvuntur, non Condicuntur: ut & omne id quod dotis nomine datur. l. 32. §. 2. h. t.

LXII.

Similiter in ijs quæ pœnæ causa indebitè soluta sunt, repetitio cessat. l. 19. in pr. D. h. t. quemadmodum etiam in solutione usurarum non debitarum. d. l. 26. in princ. ib.

LXIII.

Extinguitur hæc actio Indebiti triginta vel quadraginta annorum.

rum spacio; quo omnes in personam actiones præscribuntur. l. 3. l. 4. C. de præscr. trigint. vel. quadrag. ann.

LXIV.

Deniq; (ut colophonem adijciamus & rem verbo complectamur) statuimus, Eum cui indebitè quid solutum est, ad omnia quæ præstantur in mutuo, teneri: id est, licet pecunia casu, sive dolo, sive quâcunq; culpa aliâ perierit, tamen reddere tenetur. Deinde & illud, quod scilicet ex omnibus causis quæ jure non valere; securâ per errorem solutione, conditioni locus erit, l. 4. D. h. t. Et hæc sunt quæ de Conditione indebiti pro ingenij tenuitate publici exercitij gratia proponere placuit.

PARERGOS TENTABIMUS.

- I. **C**onditionem indebiti, ei etiam dari, qui remunerandi obligatione alicui tenetur, verius est.
- II. Haud rectè sentire illos arbitratur, qui l. 27. si anus. pr. ff. de pact. cum l. 31. §. 1. de novation. ut & l. repetundarum. 15. ff. de testib. cum l. 20. §. 5. de testam. in variis pugnare; & correctione adjuvare volunt.
- III. Veriorem Cujacij explicationem in l. 38. §. 5. ff. de pænis amplectimur.
- IV. Novellas Leonis (licet earum auctoritas nullâ ferè in observantia) in casibus à Jure Justiniano indecis, meritò observandas esse existimamus.
- V. Legitimos per subsequens matrimonium in Feudis succedere non posse, de I. Feud. verius est.
- VI. Loca quæ in concursu ala & cortina usui tormentorum peculiariter destinari consuevere (quæ vulgò Cassematten vocant) planè rejicimus.
- VII. Quemadmodum & propugnacula altiora (quæ vulgò vocant Carcen vel Cavallier) plus obesse quam prodesse asserimus.

VIII. *Neque est illa propugnacula qua extra ductam fossam extruuntur (que vocantur Stabellin) approbare possumus.*

DEO TRINUNO SIT LAUS HONOR
ET GLORIA IN INFINITA
SECU LA AMEN.

